

ut nequeat mater ad exemplum patris filius pupillariter substituere, *princip. de pupillar. substitut. l. 2. princip. ff. eod. nec* eadem perinde ac patri usufructus in bonis liberorum competat, Bruneman. in *L. 6. C. de bon. que liber. Carpov. lib. 6. tit. 7. Respons. 70.* nec à rationum redditione ac Inventarii confectione immunitas sit mater tutrix pupillarum, & que neglecta, ad juratam specificationem teneatur, Strik. *jurid. dissert. vol. 2. disp. 4. cap. 3. §. 2. Carpov. Jurisprud. forens. part. 2. Const. 11. defn. 5. & 7.* que omnia aliter se habent in Patre, *d. L. 6. C. de bon. que liber.*

29 Sed licet Jure civili Romanorum patri tantummodo potestas in filios competat, sunt tamen officia, que filii non patri solum, sed & matri præstare tenentur. Inter hæc principem locum tenet aliendi debitum, quod sicuti parentibus respectu liberorum, ita quoque liberis incumbit, si forte contingat parentes inopia laborare, sibi que ob senilem ætatem, vel adversam valetudinem prospicere hand posse de vitæ necessitatibus, *L. ultim. §. Id ipsum autem C. de bon. que liber. L. 5. de patr. potest. L. 1. & 2. C. de aliend. liber.*

31 Persona unius itemque alterius parentis semper sancta, & honesta filiis esse debet. *L. 9. ff. de obsequio parent. & patron. præstand. Quo fit, ut filii non solum ab omni injuria, vel reali, vel verbali parentibus inferenda abstinere sedulo debeant, nisi gravissimas animadversiones velint incurrere, L. 3. C. de patr. potest. sed & nullam actionem, vel exceptionem famosam parentibus dedecori futuram valeant adversus ipsos proponere; quin si casus ita ferat, suppressa doli mali, fraudis que mentione, in factum verbis uti debeant, leg. 1. ff. de dol. mal. Leg. 20. §. ultim. ff. de injur. L. 2. §. 1. ff. de obseq. parent. vel patron. præstand.*

34 Quod dictum est de actione famosa, id ipsum in accusatione quoque locum sibi vindicat, *L. 8. ff. de accusat. si excipias* tamen crimen læsæ majestatis, *L. 37. penult. C. qui accusare non possunt* & maxime crimen apostasie, hæresis &c. *cap. 10. de heret. Admissio vero à parentibus crimine, quod notatur legibus publicorum judiciorum, de facto eorum civititer querere possunt, Bruneman. in leg. 11. num. 4. C. qui accusar. non possunt.*

38 In hac etiam spectat, quod filii absque venia parentes in jus vocare nequeant, *L. 4. ff. de in jus vocand. Non male vero Anton. Faber. in Cod. lib. 2. tit. 2. defn. 13. monet, hodie opus amplius hand esse hac venia, propterea quod eo ipso quod Juxta ad instantiam alicujus citat, hæc venia impetrata censetur. Vide & alia officia*

liberorum erga utrumque parentem apud Strik. *juridic. dissert. vol. 2. disp. 4. cap. 3. §. 13. & seq.*

Reliquum est, ut de eo verba faciamus, an matri assentire filium alicum ex adulterio natum esse credendum sit? Negatur communiter *ex leg. 29. §. 1. de probat. Itque procedit etiam mater de adulterio sit convicta, nam potest esse mater adultera, filius vero legitimus, Bruneman. in di. leg. 29. Stryk. in not. ad Lauterbach. tit. de his, qui sui, vel alieni juris sunt, quinimo etiam mater in articulo mortis constituta hanc emisit confessionem, *arg. Leg. Si quis in gravi 3. ff. de Senat. consuli. Syllanian. Quid si filius præterea patri sit dissimilis, referaturque ipsum adulterium? Nec matri creditur quum ista similitudo per accidens ex imaginatione mulieris tempore conceptionis contingere poterit, Gall. 2. observ. 97. num. 7. qui & alias ampliationes offert.**

Hinc quendam Regem stultitiae arguere solent Doctores, quod ad confessionem matris, quod scilicet ex adulterio natus erat, regno se abdicavit. *E* (ubi agitur de obligatione parentum in liberis, *exemp. gr. verb. Alimenta, Filius, Legitima, Parentes, &c.* ibi omnia perlegere convenit).

MATRIMONIUM.

ARTICULUS I.

Matrimonium quoad ea, quæ concernunt ejus naturam, materiam, formam, & ministerium.

SUMMARIUM.

1. Matrimonium dicitur unde dictum.
2. Quare dicitur potius matrimonium, quam patrimonium.
3. Matrimonium aliquando vocatur conjugium, & quandoque dicitur connubium, & quandoque nuptias, & quare.
4. Matrimonium quid sit.
5. Matrimonium dividitur in legitimum, ratum, & consummatum.
6. Matrimonium legitimum quale sit.
7. Matrimonium consummatum quale sit.

2 & pro emancipato in omnibus consideretur, (1) deficit in eis, ceterisve ascendentibus, substituendi fundamentum.

Verumtamen difficultas, ex doctrina præd. num. appositâ proveniens, de determinationibus præcedentibus obligationi non traditis, in eo consistit, an currenti in tempore eadem substituendi patri denegatur prærogativa, licet filios habeat in potestate? hoc asserere non est hujus operis: at inserere qua novissime disposita inveniuntur, & de quibus difficultas oritur, non est alienum: mutua ac equalis esse ascendentium, & descendendum successionem, juri est conforme: (2) ex quo videtur, substitutionem pupillarem fieri non posse: eam tunc ascendenti successio à lege præscripta postergatur, & si substitutus ingreditur, janua exclusionis non rursus aperitur.

Non sine causa objicietur facultas testatoribus concessa, alios substituendi ergo, qui pro ipsis testamentum condant, quæ non conceditur substitutionem ejusdemque qualitatē facere, nisi talem pro se testandi potestatem demandaverint, præsertim eam si dederint circa substitutionem ad sic dispensandum: (3) quia objectione meditata, videtur, per supradictam mutua in ascendentes, & descendentes successionem, parentibus esse sublatam substituendi facultatem.

Hæc sufficienter prænotare, & quilibet, si ei placherint patefacta, dum casus occurrat, animum ad unguem exploret, & probet, aut improbet insertam.

(1) *L. 8. tit. 1. lib. 5. El hijo, ó hija casado, y velado, sea avido por emancipado en todas las cosas patra siempre, y en las que no, si el padre no es casado, ni velado.*

(2) *L. 1. tit. 8. lib. 5. Los ascendientes legitimos por su orden, y linea derecha, sucedan ex testamento, & ab intestato á sus descendientes; y les sean legitimos herederos, como lo son los descendientes á ellos, en todas sus bienes de qualquier calidad que sean.*

(3) *L. 5. tit. 4. ejusd. Porque, muchas veces acaescesse, que algunos por que no pueden, ó por que no quieren hacer sus testamentos, dan poder á otros, que los*

10 Dista tria matrimoniâ differunt firmitate, seu stabilitate.

11 Matrimonium ratum, & consummatum differunt inter se etiam in ratione significationis.

12 Matrimonium in lege veteri, sicut & matrimonium nunc contractum inter Infideles, quantum fuerit & sit legitimum, atque validum in ratione contractus, non fuit tamen, nec est Sacramentum.

13 Solum matrimonium contractum inter fideles baptizatos est Sacramentum, estque unum ex septem novæ Legis Sacramentis à Christo Domino institutum.

14 Matrimonium in ratione Sacramenti probabilis fuit institutum, quando Christus dixit: Quod Deus conjunxit, homo non sepatet.

15 Adducitur, & solvitur instantia.

16 Probabilis est inter fideles, sive baptizatos nullo modo, nequidem per intentionem contrahentium posse valide separari rationem Sacramenti à contractu matrimonii.

17 Adducitur, & solvitur instantia.

18 Est tamen probabilis etiam contraria opinio.

19 Matrimonium legitime contractum ex dispensatione pontificis inter fidelem, & infidelem, est Sacramentum ex parte fideles.

20 Matrimonium duorum conjugum infidelium, si ambo convertantur, & baptizentur, an fiat Sacramentum ad num. 21.

21 Bona principalia matrimonii sunt tria, scilicet Fides, Proles, & Sacramentum.

22 Præter dicta tria principalia bona, seu tres primarios fines, aut effectus, habet matrimonium alios effectus, seu fines minus principales, qui assignantur.

23 Materia remota Sacramenti matrimonii sunt ipsa corpora habita contrahentium, & materia proxima est ipsamet traditio mutua corporum in ordine ad generationem.

24 Fornia Sacramenti sunt ipsorum contrahentium verba, seu signa verbis æquivalentia mutuum consensum internum sufficienter exprimentia.

25 Etiam mutus, & surdus potest contrahere matrimonium.

26 Illi qui tenent Ministerium matrimonii esse Parochum, seu Sacerdotem Delegatum, tenent etiam, quod legitimum contractus civilis sit materia hujus Sacramenti, & forma sint illa, vel similia verba à Parocho, seu Sacerdote Delegato prolata: Ego vos in matrimonium conjungo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

27 Ministri tamen Sacramenti proprie sunt ipsimet contrahentes, quilibet partialis, uterque totalis.

28 Adducitur fundamentalis probatio, ad n. 30.

29 Adducitur, & solvitur instantia.

30 Assignantur Doctores tenentes contrariam sententiam.

31 Matrimonium inter absentes celebratum, sive fiat per procuratores, sive per literas, sive per Nuntios, validum est in ratione contractus, si certa serventur conditiones.

32 Et etiam validum est in ratione Sacramenti.

33 Aferuntur conditiones requiritæ in matrimonio celebrato inter absentes, & satisfi rationibus adversariorum.

34 Procurator potest esse diversus sexus ab illo, nomine cujus contrahit.

35 Nec requiritur, quod sit certæ ætatis.

36 Quando matrimonium contrahitur per Nuntios, debent isti utriusque mittentes traditionem, & acceptationem significare coram Parocho, & Testibus.

37 Et si contrahatur per literas, debent etiam ista legi coram Parocho, & Testibus.

38 Contrahentes per Procuratores, vel Nuntios, seu literas, optime faciunt, si deinde per se ipsos privatim inter se repetant mutuum consensum.

39 Principales contrahentes debent esse in statu gratiæ pro eo tempore: probabiliter credunt posse Procuratores eorum nomine contrahere, vel Nuntios suam voluntatem significare, seu literas suas legi posse

coram Parocho. & Testibus: Procuratores autem, & Nuntii non peccant, si eo tempore sint in peccato mortali.

42 Matrimonium contractum à Procuratore post revocationem Procure etiam ignoratam, est nullum.

MATRIMONIUM secundum nominis etymologiam derivatur à *ly mater*, & *munium*, seu *munus*, quasi sit *matris munium*, seu *matris munus*: Unde S. Augustinus *l. 19. contra Faustum* sic habet: *Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat famina nubere, quàm ut mater fiat, & concordat S. Thom. in Supplem. quest. 44. art. 2. ubi dicit quod dicitur matrimonium, quia est præcipue matrum onus.*

Hinc dicitur *Matrimonium* à matre potius, quàm *patrimonium* à patre, quia ad prolem, cujus generandæ & educandæ causa institutum est matrimonium, magis concurrat mater, ipsam in utero caute gestando, & accurate educando. (*Leg. 1. tit. 2. part. 4.*)

Matrimonium variis aliis nominibus appellatur: Aliquando enim vocatur *Conjugium* à conjungendo sub uno mutuo jugo, quia virum, ac mulierem sub uno, eodemque quasi mutuo jugo ad servandam fidem, & onera matrimonii sustinenda constituit: *Catechism. Rom. de matrim. cap. 1.* Quandoque dicitur *connubium*, & quandoque *nuptiæ* ab obtubendo, eo quod antiquitus pudoris gratia se puella obnubent, seu caput, & faciem velarent, dum viris dabantur, exemplo Rebeckæ, de qua id ipsum legitur *Genes. 24. numer. 65. ibi: At illa tollens cito pallium operuit se, & habetur expresse in cap. Nec illud 8. caus. 30. quest. 5. ibi: Nec illud notiosum, quod cum veniret Rebecka, vidit Isaac ædeambulante, & cum interrogasset, quis esset, cognovito quod ipse esset, cui duceretur uxor, descendit, & nuptiis præire debere: Inde enim & nuptiæ dicta, quia pudoris gratia se puella obnubent.*

Matrimonium in Jure tum canonico, tum civili præcise definitur, quod sit *maris, & femine conjunctio individuum vitæ consuetudinem retinens*, sic expresse in *cap. Illud II. de præsumptionibus, & caus. 17. q. 2. §. 2. & §. 1. Inst. de patria potestate*: Quia vero ibi matrimonium potissimum definitur, & explicatur quoad vinculum, datur hic alia definitio adæquate ipsam complectens, & explicans, & ut contractum, & ut Sacramentum, & ut vinculum: *Matrimonium est individua conjunctio maris, & femine legitime contractu firmata ad generandam prolem, à Deo Auctore nature instituta, & Sacramento novæ Legis signo, & bono à Christo Salvatore elevata ad christiane generationem prolem.* Sic expresse Marchantius *tom. 3. Tribun. seu speciali part. 3. quest. 1. Sporer tom. 3. theol. Sacramental. part. 4. cap. 1. num. 1. Estque in re communis. (Leg. 1. tit. 2. part. 4.)*

Matrimonium dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. *Communis. Matrimonium legitimum est illud, quod legitimo consensu inter personas nobiles seu Jure non impeditas contrahitur: & dicitur legitimum, quia contrahitur juxta leges, & tale matrimonium datur etiam inter infideles non baptizatos, cum ut sic abstrahat à ratione Sacramenti. Matrimonium ratum est illud, quod non solum legitimo modo contrahitur, sed insuper accedit ei ratio Sacramenti, vi cujus dicitur ratum, quia magis indissolubile, cum tamen contractum ab infidelibus sit dissolubile per conversionem alterius ad fidem, & ideo matrimonium, quantumvis legitimum, non est ratum, capit. Quanto 7. de Divortiiis: "Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum (inquit, scilicet, potest dissolvi, ut expresse dicit Glossa ibidem verb. Ratum) inter fideles autem verum, & ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur; sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante non periret."*

Matrimonium consummatum est illud, quod accedens

dente mutua actuali traditione corporis, & copulatione carnis, completur, & consummatur, & id non solum in ratione contractus legitimi, sed etiam in ratione Sacramenti, ut idcirco majorem, & quasi ultimam ex divina institutione stabilitatem acquirit.

10 Dista tria matrimonia, ut vides, differunt firmitate, seu stabilitate; matrimonium enim legitimum solvi potest favore fidei, cum alter conjux ad fidem convertitur, altero nolente converti, *Epist. 1. ad Corinth. c. 7. Quod si infidelis discedat, discedas; non enim servituti (nempe ligamini conjugali) subjectus est frater, aut soror in hujusmodi. Item c. Si infidelis 2. caus. 38. quest. 2. & cit. cap. Quanto 7. de divortii. (Leg. 3. & 4. tit. 10. p. 4.) Matrimonium ratum solvitur favore Religionis per solemnem professionem; c. Verum 2. & c. Ex parte 14. de convers. Conjug. & est expresse definitum à Concil. Trid. sess. 24. de matrim. canon. 6. ibi: *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. (L. 5. tit. 10. part. 4.)* Matrimonium consummatum quoad vinculum nunquam solvi potest, ut habetur expresse ex verbis Christi *Matthaei 19. ibi: Quod Deus conjunxit, homo non separat. (Leg. 1. tit. 10. part. 4.) & ex Apostol. ad Rom. 7. ibi: Mulier vivente viro, alligata est, & 1. ad Corinth. 7. ibi: His qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere inuptam, aut viro suo reconciliari.* & est expresse definitum à Concil. Trid. sess. 24. Canon. 5. ibi: *Si quis dixerit propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjugē, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.* & *ibidem canon. 7. ibi: Si quis dixerit ecclesiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelium, & Apostolicam Doctrinam propter adulterium alterius conjugis matrimonii vinculum non posse dissolvi &c. anathema sit.**

11 Matrimonium ratum, & consummatum differunt inter se etiam in ratione significationis: Nam ratum significat conjunctionem Christi cum anima justae per gratiam, quae conjunctioni solubilis est per peccatum mortale. Consummatum autem significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, seu Unionem Hypostaticam, quae conjunctione est omnino insolubilis: Nam Verbum quod semel assumpsit, nunquam dimisit, *cap. Debitum 5. de Bigamis*, unde, ut refert Pignat. *tom. 1. consulti. 148. n. 4. Dominus Matth. 19. non dicit: Quod Deus conjunxit, homo non separat, nisi post illa verba: Et erunt duo in carne una, & Apostolus ad Ephes. 5. non dicit: Hoc Sacramentum magnum in Christo, & Ecclesia, nisi post illa verba: Et erunt duo in carne una, & ideo Leo Pontifex relatus in c. Cum societas 17. caus. 27. q. 2. sic expresse habet: *Cum societas nuptiarum ita à principio sit instituta, ut præter commixtionem sexuum non habeant in se nuptiae conjunctionis Christi & Ecclesiae Sacramentum &c.**

12 Matrimonium in lege veteri, sicuti & matrimonium nunc contractum inter infideles, quamvis fuerit, & sit legitimum atque validum in ratione contractus, non fuit tamen, nec est Sacramentum. Communis. Qui enim non dederunt Sacramentum Baptismi, non sunt capaces aliorum Sacramentorum, cum Baptismus sit janua omnium Sacramentorum.

13 Unde solum matrimonium contractum inter fideles baptizatos est Sacramentum, estque unum ex septem novae legis Sacramentis à Christo Domino institutum, ut definit Concilium Florentinum in decreto Unionis, & Tridentinum sess. 7. canon. 1. ibi: *Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismus, Confirmationem, Eucharistiam, Penitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie Sacramentum, anathema sit.* & idipsum definit specialiter de matrimonio sess. 24. canon. 1. ibi: *Si quis dixerit matrimonium non esse vere, & proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum,*

sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.

Matrimonium in ratione Sacramenti probabilis fuit institutum, quando Christ. *Matth. 19. dixit: Quod Deus conjunxit, homo non separat:* Nullum enim alium tempus talis institutionis potest congruentius assignari in toto Evangelio, & Scutus in 3. dist. 26. §. De primo, Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 4. num. 5. S. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 2. ante §. 1. Rosignol. de matrim. 1. contract. XV. praenot. 1. num. 6. cum aliis ibi citatis: Reiffenstuel loc. cit. n. 9. Henno loc. cit. disp. 2. quest. 3. concl. 2. ubi testatur de communi: Quamvis tamen Viguerius, Ledesma, & alii dicant, fuisse elevatum in Sacramentum, quando Joan. 2. interfuit Christus nuptiis Canæ Galilææ.

Nec valet dicere, quod matrimonium fuerit à Deo jam absolute, & ab initio mundi institutum & in eo statu innocentiae; Gen. 2. adeoque non à Christo, quando dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separat.* Non valet, inquam, quia ab initio mundi fuit institutum matrimonium solum in ratione contractus indissolubilis, atque in ordine ad officium naturæ, & legitimum propagationem generis humani: In ratione autem Sacramenti, hoc est, signi efficacis digne recipientibus conferentis gratiam ex opere operato, fuit solum institutum à Christo, quando dixit prædicta verba: *Quod Deus conjunxit, &c.*

Probabilis est, inter fideles, sive baptizatos nullo modo, nequidem per intentionem contraheumque posse valide separari rationem Sacramenti à contractu matrimonii: id est, probabilis nequit fidelis valide inire matrimonium, solum ut contractum, non vero ut Sacramentum. Sic Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 10. n. 6. Suarez tom. 2. de Sacramentis quest. 64. art. 10. Petrus Ledesma de matrim. quest. 42. art. 1. dub. 7. in solut. ad primum, & secundum, Rosignolus de matrim. 1. contract. quest. 15. praenot. 2. n. 2. Espasza de matrim. quest. 114. ad 3. Layman lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 2. n. 2. Lugo de Penit. disp. 14. n. 42. Tannerus tom. 4. disp. 8. quest. 4. num. 5. Cardenas in 2. Criti. dist. 20. num. 77. Haunold. lib. 4. num. 716. Germ. disp. 5. num. 345. Vanesp. de matrim. disp. 4. dub. 1. Coninch. disp. 24. num. 22. & mordicus Aversa quest. 1. sect. 5. La-Croix lib. 6. part. 3. n. 276. cum Hiqzuo, Pontio, Brancato, Bellarmin. Præposit. & aliis ibi citatis, Pignatelli. tom. 7. consulti. 22. num. 7. alique plurimi apud ipsos, Sperell. dec. 9. num. 23. ubi dicit hanc esse veram sententiam, & Romæ approbatam. Et ratio est, quia ex institutione Christi in statu Legis Evangelicæ, ratio Sacramenti est essentialiter inhibita in ratione contractus matrimonialis, & hæc videtur esse etiam germana Scoti opinio, qui in 4. dist. 26. num. 23. sic ait: *«Ideo dicit potest, quod contractui matrimoniali annexit Deus sacramentum proprie dictum saltem per Lege Evangelicæ, alioquin non esset Sacramentum novæ legis.»* Unde Concilia, & SS. Patres dicunt absolute, quod matrimonia fidelium sunt Sacramenta, & favet Innocentius III. in cap. 7. de divortii, ibi: *«Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: Inter fideles autem verum, & ratum existit, quia Sacramentum Fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum;»* quibus verbis videtur aperte asserere, quod Baptismus hoc ipso, quod inadmissibiliter sit admissus, faciat contractum matrimonii baptizatorum esse Sacramentum, adeoque dicendum est, non posse fideles, seu baptizatos separare rationem Sacramenti à contractu matrimonii: Nullum enim est solidum fundamentum dicendi, quod Christus reliquerit privatis fidelibus potestatem separandi unam rationem ab altera, aliter posset prudenter suadere his, qui in mortali existenter, nec vellent penitere ante matrimonium, ut intenderent solam rationem contractus, & non Sacramenti, nec committerent sacrilegium: Item posset dari, quod unus conjugum intendens contractum, & Sacramentum, suscipiet Sacramentum, alter autem intendens solum contractum, non suscipiet Sacramentum, quæ, ut recte notat Aversa loc. citat.

reft. 5. La-Croix loc. cit. num. 276. & plane sunt absurda, & præter mentem Ecclesiæ, ac existimationem Fidelium.

Aliud est non esse in potestate hominis efficere, ut matrimonium juxta Ecclesiæ leges rite celebratum non sit Sacramentum; & aliud num homo christianus matrimonium inire queat, quod Sacramentum non sit. Primum verum est, non in hominis potestate non sit, ut id, quod Christus Dominus Sacramentum esse voluit, Sacramentum non sit. At in hominis potestate est id ponere, vel non ponere, quod necessarium esse voluit Christus, ut Sacramentum efficere; quomobrem, si homo, iis positis, quibus matrimonii contractus constat, omissis vero, quæ addidit Christus huic contractui, ut Sacramentum fieret, matrimonium inerat: habebimus utique verum contractum, neutiquam vero Sacramentum. Fac ergo, christianum hominem ea adhibere, quæ ad rationem naturalis, & civilis contractus spectant; negligere autem caeremonias Ecclesiæ, & institutionis divinæ ritus, quibus contractus hujusmodi Sacramentum fit, jam habes verum contractum, deest vero ex gravi hominis christiani culpa ratio Sacramenti. Quid deinceps si intentionem spectemus? Dum in universo christiano volente civilem hujusmodi inire contractum animus sit, non solum non perficiendi, & recipiendi Sacramenti, sed irridendi potius, & contemnendi, nunquam Sacramentum fiet? At in hoc argumento non sistimus; primum indicasse sufficiat, ut inde constet, probabilior non esse Auctoris assertionem.

Plura hic adducit Rom. Theologus, ut inde constet, probabilior non esse assertionem, quam tradidi loc. cit. at si attente perpendantur omnia ibi num. 16. & 17. producta, & quæ tradidit mem. Benedictus XIV. de Synodo dioc. lib. 6. c. 7. num. 3. ad 5. & lib. 8. c. 13. ad num. 4. ad 8. manifeste patebit, probabiliorera revera esse opinionem meam, in dicto enim c. 13. n. 4. laudatus Pontifex sic expresse asserit. *«Verum quamquam hucusque explicatam Melchioris Cani sententia tot doctorum suffragiis communita, sit valde probabilis: at tamen nullus inficiabitur, communionem esse contrariam aliorum opinionem, qui constanter defendunt solos contrahentes esse ministros Matrimonii, quod proinde necessario ab illis confici docent simul ac validum inter se in eunt conjugii contractum;»* quæ est meæ probabilior assertio, quamvis etiam contraria opinio sit vere probabilis, ut & ego ipse jam ibi sub n. 18. tradidi. Porro ad suam, simul & meam, assertionem ostendam communionem & probabiliorera in Pontifex, ultra solida fundamenta adducta loc. c. in dist. n. sic prosequitur: *«Hanc quippe sententiam propugnant fere omnes antiqui Theologi, Jurisque Canonici Interpretes, quos citant, & sequuntur Vasquez, Sanchez, Theoph. Raynaudus, Frassen, Cardinal. de Lauræa, Clericatus, Cardinal. Gottus. Nec verum est, quod nonnulli jactitant, hanc opinionem ultra montes esse jam fere antiquatam, ex illis quippe qui ultra montes non diu antea scripserunt, eandem tunc ut Van-Espen, Simonet, Boucat, Auctor theologiae moralis ad usum Seminarii Petrocensis, Merbesius, Pontas, alique non pauci, quocirca Tournellus, quamquam Melchiori Cano adhærescent, nihilominus ingenue fassus est loc. cit. Si ex Auctoritate & numero Scholasticorum pugnantium hic foret, vinceret haud dubie opposita sententia.»* Sic laudatus Pontifex ad litteram loc. cit. merito legendus & sequendus. Et doctissimus Maschat edition. Rom. 1757. celeberrimi Ubald. Giraldi tom. 2. lib. 4. tit. 1. n. 41. expresse tradit: *Denique ministri hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes, non vero Sacerdotes; ita vera sententia, quam efficaciter probat.* Unde hic mirandum, quod dictus Ubaldus unus ex Revisoribus probaverit censuram propositionis, ut probabilioris à me traditæ, quando ipsamet cum suo Maschat in sua editione eam non tantum ut probabiliorera, sed ut absolute veram propugnat, atque expresse concludit: *ita vera sententia.*

Nec valet dicere, quod ad substantiam, seu validitatem Sacramenti requiritur intentio Ministri volentis

illud conficere, adeoque non haberi hic validum Sacramentum, cum nedum non habeatur intentio Ministri volentis illud conficere, sed & ipsius positiva nolitio, seu exclusiva intentio. Non valet, inquam, quia Christus Dominus ita inseparabiliter connexit contractui matrimoniali rationem Sacramenti, ut quamvis positio contractus pendeat à voluntate fidelium, eo tamen ipso non pendeat à voluntate fidelium ratio Sacramenti; sed eo ipso, quod legitime ponatur contractus matrimonialis, statim ex Christi institutione sit ei annexa ratio Sacramenti, taliter quod quicumque fideles volunt vere contrahere matrimonium, volunt etiam virtualiter accipere Sacramentum; & è contra, si nollent Sacramentum suscipere, consequens esset, ut neque matrimonium contrahere intenderent, sique contractus irritus esset, quia deficient intentione quoad Sacramentum, deficit etiam essentialiter intentio quoad contractum, cum inter fideles intentio vere contrahendi matrimonium indivisibiliter afficiat tam Sacramentum, quam contractum, adeoque deficiens quoad unum non trahitur ab altero.

Est tamen probabilis etiam contraria opinio docens, rationem Sacramenti posse valide, etsi non licite, separari à ratione contractus: saltem per intentionem conficiendi contractum, & non Sacramentum, ut tenent plurimi, & Maximi Doctores, ut Cajetanus, Durandus, Victoria, Vazquez, Rebellus, alisque congestis Perez disp. 19. sect. 10. Hurtad. disp. 3. de matrim. diffie. 10. Dicastil. dub. 19. disp. 2. Tamburini. tract. 5. cap. 1. num. 6. Diana part. 3. tract. 4. resol. 225. & probabiliorera censet Henno tom. 2. tract. de matrim. disp. 2. quest. 4. concl. 1. Sporer tom. 3. Theolog. Sacrament. part. 4. cap. 2. sect. 4. num. 316. Henrix disp. 2. quest. 2. n. 17. Gobat tom. 1. tract. 9. cas. 11. num. 228. Merat. Gonet, Patel. Krimer, & alii.

Probabilior tamen illorum videtur opinio, quæ negat omnino matrimonium hujusmodi esse Sacramentum. Nam ut matrimonium sit validum in ratione contractus, mutuum exigit utriusque conjugis consensum. Ut ergo sit Sacramentum, utriusque postulat intentionem, & consensum. Matrimonium enim unum est Sacramentum, non duo: neque Sacramentum dimidium est, sed integrum: ergo quando in uno deficit intentio suscipiendi Sacramentum, intentio alterius minime sufficit; sicut enim matrimonium est unicum mutuum vinculum, unus contractus, ita unum est Sacramentum.

Contendit hic Rom. Theologus quod probabilior sit illorum opinio, quæ negat omnino, matrimonium hujusmodi, nempe contractum ex dispositione pontificia inter fidelem, & infidelem, esse Sacramentum ex parte fidelis seu baptizati. Sed mea opinio defenditur non solum ab Auctoribus ibi à me allegatis, sed etiam ab Henrico à S. Ignatio in Ethica amoris tom. 3. lib. 8. part. 2. cap. 8. à Tournello de matrimonio pag. 95. edit. Parisien. 1730. Cardin. de Lauræa disp. 13. de matrimonio art. 10. in quo ulterius num. 163. id probat ex paritate Baptismi, qui ministratus ab infidele animo facienti quod faciunt fideles, est verum Sacramentum. Tum quia si duo fideles matrimonium contrahant, & unus sit in peccato mortali, & incapax gratiæ Sanctificantis à Sacramento provenientes, alter qui obicem non habet peccati, recipit gratiam & effectum Sacramenti, quia possit ab obice & indispositione alterius præpediri; ita in nostro casu idem est dicendum, si unus sit fidelis, capax Sacramenti ratione Baptismi, & alter sit infidelis, & incapax ob defectum Baptismi, & ita in uno sit Sacramentum, & non in altero, ea potissimum ratione, ut jam tradidi; quod nemo fidelis ex divina ordinatione potest contrahere matrimonium nisi simul efficiat Sacramentum, quum ipsemet fidelis, seu baptizati contractus sit ipsummet Sacramentum; & ideo non contraria, sed mea videtur probabilior opinio. †

Matrimonium legitime contractum ex dispensatione pontificia inter fidelem, & infidelem, est Sacramentum ex parte fidelis, seu baptizati, quia, ut jam dictum est, fidelis, seu baptizatus ex divina ordinatione nequit con-

trahere, nisi simul efficiat Sacramentum, quia ipsemet fidelis, seu baptizatus contractus est ipsummet Sacramentum; & quamvis Christus non prohibeat fidem cum infidelium noudum baptizato contrahere, non propterea existit fidelis ab illis, quæ circa fideles ipse ordinavit, quod nempe non possit inire matrimoniale contractum sine Sacramento: unde dicendum est, quod ex tali contractu respectu baptizati consurgat ratio Sacramenti, ut quantum ex vi contractus resultaret etiam respectu alterius non baptizati, nisi obstitere incapacitas defectu Baptismi: hinc Divus Thomas in *dist. 39. quest. unica art. 2. ad primum*; dicit, quod quamvis illud matrimonium respectu non baptizati non sit Sacramentum actu, sit tamen potentia, quatenus immediate ac fuerit baptizatus, sit actu postea tale, eideque confert gratiam sacramentalem; sic tenent etiam Scotus in *4. dist. 26. q. 2. art. 3. in fine*, Echius tom. 4. *hom. 73. de Sacramento*, Paludanus in *4. dist. 27. q. 4. art. 3. n. 25. Argentina in 4. dist. 39. quest. 1. ad primum*, Vera Crux *2. part. Speculi art. 36. conclus. 2. Vega lib. 4. Summa cat. 113. Aversa q. 1. sect. 6. Rebullus, Catharinus, & alii, & ex Scoticis tale matrimonium esse Sacramentum ex parte fidelis tenent Hiquerus, Pontius, Brancatus, & Frassen *de matrim. tr. 3. disp. 2. art. 1. q. 2. quæres. 1. & videtur confirmari mentis Scoti*, ut observat ejus fidelis interpres Hiquerus in *commentario ad dist. 26. num. 56 & alii contra Vazquez, Henriquez, Sanchez, Coninch, Becanus, Krimer, La-Croix loc. c. n. 277. & alios.**

20. Matrimonium duorum conjugum infidelium, si ambo convertantur, & baptizentur, an fiat Sacramentum, variant Doctores: affirmativam enim sententiam tuerent S. Thomas in *3. dist. 39. quest. 1. art. 1. Capreolus art. 3. ad 5. Bellarminus lib. 1. de matrim. cap. 5. Sanchez lib. 2. disp. 9. Gobat tom. 1. tract. 10. num. 390. Aversa quest. 1. sect. 6. Paludanus, Covarrubias, Layman, Valentia, Tannerus, & alii plurimi volentes, quod cum baptizantur, eorum matrimonium transeat in Sacramentum, quia tunc incipit significare indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia, adeoque habere rationem Sacramenti, propter quod est absoluta indissolubilitas; & præsertim evadit eorum matrimonium Sacramentum, si, ut dicunt Ledesma, Durandus, Capreolus, Henriquez, Bellarminus, Rebullus, Platellus, & alii, post Baptismum coram Parocho, & testibus, renovent consensum, quia tunc ponitur contractus matrimonialis inter fideles, inter quos talis contractus est Sacramentum: quam tamen renovationem consensum non esse necessario faciendam coram Parocho, & testibus, tenent cum plurimis Barbosa in *Concil. sess. 23. c. 1. n. 138. & de offic. & potest. Episc. alleg. 32. n. 158. & de offic. & potest. Paroch. n. 85.**

21. Sententiam autem negativam tenent Vazquez *disp. 2. de matrim. cap. 10. Coninch disp. 24. dub. 2. conclus. 3. Henriquez disp. 2. quest. 1. numer. 10. Pontius lib. 2. cap. 9. num. 3. & Krimer num. 354. Henno loc. cit. conclus. 2. vers. Petes: Matrius theolog. moral. disp. 21. numer. 17. Frassen loc. cit. Quæres. 2. ubi dicit, quod hac sit verior, & conformior doctrinæ Subtilis in *4. dist. 39. Præpositus, Dicastil, Castropalao, & alii; & ratio est*, quia licet tunc consensum renovent, & Sacramentum intendant, non tamen per id fit novus contractus matrimonialis, sed confirmatur jam factus, cum enim corpora fuerint jam antea tradita, nec possint tales conjuges iterum tradere, quod solum non est, ex quo neuter conjugum habeat potestatem sui proprii corporis, ut docet Apostolus *1. ad Corinth. 7. non ponitur tunc nova materia, vel forma contractus, adeoque &c.**

22. Bona principia matrimonii sunt tria, scilicet Fides, Proles, & Sacramentum. Communis cum S. Augustino *l. 9. de Genesi cap. 7.* ubi sic præcise dicit: "Bonum, quod habent nuptiæ, tripartitum est, Fides, Proles, Sacramentum; in fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera, vel altero concubatur: in prole ut amantur suscipiantur, benigne nutriantur, religiose educantur; in Sacramento, ut conjugium non separaretur, ut dimissus, aut dimissa, nec causa prolis alteri conjungantur." Et concordat Concilium Florenti-

num in decreto unionis; ubi expresse habet: "Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda, & educanda, ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi, & Ecclesiæ." (Proœmio & leg. 3. tit. 2. p. 4.) Præter autem dicta tria principia bona, seu tres primarios fines, aut effectus à Christo in institutione Sacramenti Matrimonii intenti, seu intentos, habet matrimonium alios effectus, seu fines minus principales, & signanter est remedium vitandæ inconscientiæ juxta illud Apostoli *1. ad Corinth. 7. num. 2. ubi: Propter fornicationem autem (scilicet vitandam) unusquisque suam uxorem habeat, & unaqueque suum virum habeat, & num. 9. melius est enim nubere, quam viri.* Item conciliat verum amorem inter conjuges, & parit debitam subordinationem uxoris ad virum juxta præceptum Apostoli ad *Ephesios 5.* Item efficit ut commune jurgium levius feratur, & patientius tolerentur à conjugibus ærumnæ illæ carnis descriptæ ab Apostolo *1. ad Corinth. 7.* & hujusmodi.

24. Materia remota sacramenti Matrimonii sunt ipsa corpora habilia contrahentium, & materia proxima est ipsamet legitima traditio mutua corporum in ordine ad generationem prolis. S. Thomas in *4. dist. 42. q. 3. art. 2. S. Bonaventura in 4. dist. 26. part. 2. q. 1. Scotus in 4. dist. 26. circa finem, Matrius Theol. moral. disp. 20. n. 6. & 10. & alii passim.* Et ratio est, quia materia remota hujus Sacramenti, seu contractus matrimonialis, est sicuti in aliis contractibus, res, de qua contrahitur; res autem, de qua contrahitur in hoc Sacramento, seu contractum matrimoniali, sunt corpora habilia contrahentium, adeoque &c. Et quod legitima traditio mutua ipsorum corporum sit materia proxima hujus Sacramenti, patet à similitudine aliorum Sacramentorum, in quibus materia proxima est traditio materiae remotæ. Talis autem traditio censetur fieri non per mutuum manus contactum, cum, etiam illo non interveniente, adhuc subsistat Sacramentum, sed per consensum mutuum signis externis expressum sufficienter importantibus traditionem corporum.

25. Forma Sacramenti sunt ipsorum contrahentium verba, seu signa verbis æquivalentia mutuo consensum internum sufficienter exprimentia. S. Thom. in *4. dist. 26. art. 1. ad 1. Scotus in 4. dist. 26. quest. unica num. 14. S. Bonaventura loco citato & alii communiter tum Thomistæ, tum Scotistæ.* Et ratio est, quia generaliter formam contractuum sunt verba, vel alia signa verbis æquivalentia, ac sufficienter exprimentia internum consensum contrahentium: tum quia etiam in aliis omnibus Sacramentis forma consistit in verbis. Dicitur autem notanter seu signa verbis æquivalentia, ad denotandum, quod etiam mutus, etsi loqui non valeat, & surdus, dummodo sufficienter intelligat, potest contrahere matrimonium, ut expresse habetur in c. Cum apud Sedem *24. de sponsalibus, & matrimon.* addita ibi ratione: Cum quod verbis non potest, signis valeat declarare.

27. Advertendum autem hic est quod Theologi illi, qui tenent Ministrum matrimonii esse Parochum, seu Sacerdotem Delegatum, tenent etiam, quod legitimus contractus civilis sit materia hujus Sacramenti, & forma sint illa, vel similia verba à Parocho, seu Sacerdote prolata: *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

28. Minister tamen Sacramenti Matrimonii proprie sunt ipsimet contrahentes, qui libet paritatis, uterque totalis, S. Thomas in *4. dist. 26. quest. 2. art. 1. ad 1. ubi ait: Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale.* Unde, sicut dicit S. Doctor, benedictio Sacerdotis non est forma Sacramenti, nec ipse ministrat Sacramentum, cum non concurrat per aliud. Scotus in *4. dist. 26. quest. unica §. de ministro*, ubi dicit: *Ipmet contrahentes ministrant sibi ipsis hoc Sacramentum, vel mutuo, vel uterque sibi.* S. Thomam, & Scotum sequuntur celeberrimos Theologi, non solum utriusque Scholæ disci-

29. capilli, sed etiam Bellarminus *lib. 1. de matrimonio cap. 9. & duobus sequentibus*, dicens oppositam sententiam esse temerariam, ut ex ipso dicit etiam Fagnanus *lib. 4. decret. in cap. Quod nobis 2. de clandestina dispensatione num. 52. Suarez disp. 16. sect. 1. & pluribus congestis, Sanchez lib. 2. disp. 6. num. 2.* ubi dicit, quod sententia opposita sit temeraria, ut ex ipso dicit etiam Monacell. *part. 4. formul. legal. præct. supplement. ad 2. tom. num. 447.* & alii passim.

30. Probatur igitur veritas hujus conclusionis auctoritate Concilii Florentini in decreto unionis, ubi habet, quod contrahentes conficiunt hoc Sacramentum mutuo consensu, ait enim: *Causa efficiens matrimonium regulariter est mutui consensus per verba de presentibus expressus*, sed hoc esset falsum, si ad ipsius Sacramenti validitatem necessarius esset alius Minister distinctus à contrahentibus, maxime cum ex doctrina ejusdem Concilii in eodem decreto unionis tria duntaxat requirantur ad confessionem Sacramenti, adeoque &c.

31. Colligitur etiam id ipsum ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonii*, ubi dicit quod "dubitandum non est clandestina matrimonia (id est sine Parocho, vel Sacerdote delegato celebrata) libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proinde jure dampnandi sunt illi, ut eos Sancta Synodus anathematice damnet, qui ea vera, ac rata esse negant." Ex quibus Concilii verbis clare patet, quod ante irritationem Tridentini valida erant matrimonia sine Parocho; ergo tunc Parochus non erat illicur Minister. Atqui Tridentinum irritando similia matrimonia non instituit novum matrimonii Ministrum; ergo sicuti tunc soli contrahentes erant Ministri, etiam nunc. Quod autem Tridentinum non instituerit novum Sacramenti matrimonii Ministrum patet, quia institutum, seu immutatum Ministri Sacramenti, utpote quod substantiale Sacramenti, sicuti & aliorum Sacramentorum substantialium, non Ecclesia, sed soli Christo Sacramentorum Institutori competit, *arg. cap. Sunt quidem 6. c. 25. quest. 1. S. Thomas in 4. dist. 3. quest. 1. art. 2. quest. 2. Sotus in 4. dist. 1. quest. 1. not. 7. Fagnan. loc. cit. num. 53.* & alii passim, & patet ex *cap. 2. sess. 21.* "circa dispensationem Sacramenti Eucharistiæ, ubi idemmet Tridentinum Concilium declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea staueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro tempore, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret." Ubi, ut videt, excipit à potestate Ecclesiæ mutationem substantiæ Sacramentorum, *salva illorum substantia.*

32. Nec valet objicere, quod Tridentinum in *tit. cap. 1. de reformatione matrimonii sess. 24.* subjungat: "Ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ubi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciae ritum;" quibus verbis significari videtur, quod Parochus, seu Sacerdos delegatus verè conjungat conjuges in Sacramento Matrimonii, adeoque sit ejus Minister. Non valet, inquam, quia Concilium ibi non dicit verba illa *Ego vos conjungo &c.* esse absolute à Parocho profrendenda, immo suadet, ut aliis utatur verbis, si alius fuerit usus ejus Provinciae, adeoque verba illa non requiruntur ad substantiam Sacramenti. Tunc quia Sacra Congregatio ejusdem Concilii interpretes pluries declaravit, ut patet ex decretis citatis sub verbo Impedimentum matrimonii *art. 2. de num. 69.* sufficere ad validitatem sacramenti Matrimonii præsentiam Parochi nulla verba dicentis, immo etiam invidi, dissentientis, & contra dicentis; quod falsum esset, si Parochus esset minister, cum ad valorem Sacramenti requiratur consensus, & intentio ministri, & falsissimum esset, si illa verba: *Ego vos in matrimonium conjungo &c.* essent, ut prætendunt adversarii, forma essentialis hujus Sacramenti. Cum ergo ab illo toto sapientissimi-

morum Patrum Senatu, non nisi verissimæ, & undequaque æquissimæ soleant emanare declarationes, dicendum est, falsum esse, quod Parochus, seu Sacerdos delegatus sit minister sacramenti Matrimonii, & illa verba; *Ego vos in matrimonium conjungo &c.* sint ejusdem forma, & de facto talia verba non pertinere ad Matrimonii essentiam expresse declaravit eadem Sacra. Congregat. Concilii quamvis Juenin *dissert. 11. de matrimonio q. 3. in responsione ad 5. objectionem*, dicat eam esse fictitiam, aut illam posse explicari de matrimonio, prout est contractus naturalis, & civilis, non autem prout est Sacramentum novæ Legis.

33. Sententiam autem contrariam, docentem scilicet ministrum Sacramenti Matrimonii esse Sacerdotem profrentem illa verba pro forma: *Ego vos in matrimonium conjungo &c.* tuerent Canus *l. 8. de locis theologis*, Esquivus §. 10. Silvius in *supplemento quest. 42. art. 1. & late Juenin cit. dissert. 11. de matrimonio quest. 3. per tot.* & alii. Vide tamen infra à num. 43. ad fin.

34. Matrimonium inter absentes celebratum, sive fiat per Procuratores, sive per literas, sive per Nuntios, validum est in ratione contractus, si certe serventur conditiones. Communis est quod sit validum, si fiat per Procuratores, constat ex *cap. Honorantur 13. caus. 32. quest. 2. cap. Procurator 9. de Procuratoribus in 6. Et quod sit validum per literas, habetur leg. Mulierem, ff. de ritu nuptiar. & leg. sufficit, ff. de Sponsalibus. Et quod sit validum per Nuntios, constat per ea, quæ dicuntur de Procuratoribus, & literis; & ratio universalis est, quia etiam alii contractus possunt istis fieri inter absentes; *argum. cap. Potest quis 68. de regul. juris in 6. ibi: Potest quis per alium, quod potest facere pro se ipsum.* & cap. Qui facit 72. eod. in 6. ibi: "Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum." (Litt. F. pag. 6. num. 43.)*

An autem tale matrimonium inter absentes sic contractum habeat nunc post Tridentinum rationem Sacramenti variant Doctores. Negativam sententiam tenet Silvester, Canus, Ledesma, Rebull. Cajetan. Victoria, Estius & alii, quia dicunt ipsi cum collato, & receptio Sacramenti sit actio personalis, non potest Matrimonium, ut Sacramentum confici, vel recipi, nisi minister, & subiectum sint presentes; tum quia Tridentinum vult virum, & mulierem interrogari de mutuo consensu, adeoque vult esse presentes. Affirmativam autem sententiam merito tenendam ab omnibus docent Innocent. Covarrubias, Paludanus, Sotus, Valentia, Navarrus, Barbosa, Spuler, Pontius, Mendo, Aversa, Matrius, Reiffenstuel, Henno, La-Croix, & pluribus congestis, Sanchez *l. 2. de matrimonio disput. 1. Frassen de matrim. tract. 3. disput. 1. part. 1. quest. 3. Petes primo. Responso secundo*, ubi testatur de communione: Quam sententiam Castropal. *disp. 2. part. 9. vocat verissimam.* Tannerus, & Gobat *tract. 4. num. 388.* dicunt temeritatis esse dampnandum; qui hoc tempore id negaret: accedit enim praxis, ac sensus Ecclesiæ, quæ de facto permittit publice sic celebrari matrimonia præsentem inter Magnates, quod non permitteret, si matrimonium inter absentes celebratum non esset Sacramentum, cum ipsa velit semper suscipi Sacramentum, quando inire matrimonium; tum quia ex *dictis supra à num. 16.* ratio Sacramenti inter fideles esse essentialiter imbibita in ratione contractus, nec una potest separari ab alia, cum ipsemet contractus matrimonii sit ipsummet Sacramentum. Unde si ex communi Doctorum matrimonio celebratum inter absentes est validum in ratione contractus, debet esse legitimum & validum etiam in ratione Sacramenti, si ut dictum fuit sub num. 33. certæ serventur conditiones. Non videtur temeritatis dampnari posse, qui negat Sacramentum esse contractum per Procuratores matrimonium; immo P. Danieli Concinæ probabilior visæ est contraria sententia, quam tot gravissimi Viri tuerentur. Hæc argumenta, quibus Vir doctus utitur. Nullum Sacramentum inter absentes celebratur. Nec minus præsentem contrahentes requirunt hæc verba: *Ego vos conjungo*, quam præsentem penitentem postulent hæc alia: *Ego te absolvo.* Atque opinio, quæ olim defendebat hæc

hac ultima verba proferri posse in penitentem absentem, damnata a Clemente VIII. est. Respondet Tournely, non esse contra naturam sacramenti Penitentiae, ut inter absentem ministrum & penitentem perficeretur, adeoque valeret absolutio absenti data, nisi obstatet Ecclesiae prohibitio, quae potest inhabiles declarare & Sacerdotes ad absolvendum, & penitentes ad recipiendam absolutionem, nisi sint praesentes. Haenus Tournely de matrim. quest. 1. art. 2. pag. 43. Hac responsio nimis est arbitraria. Hoc quippe p.ago rati-
nabantur plures Theologi ante Clementem VIII. qui illorum proscripsit opinionem. Cur damnavit Ecclesia usum absolutionis datæ absentis? Quia voluit declarare inhabiles penitentes absentes ad absolutionem. Sed cur ita voluit? An ex arbitrio Ecclesia suas definitiones pronuntiat? Proscripsit talem opinionem, quia iudicavit hæc verba: *Ego te absolvo*, postulare penitentem praesentem: quemadmodum illorum reipsa obvius & naturalis sensus hæc praesentiam supponit. Validum itaque est in ratione contractus naturalis, & civilis matrimonium inter absentes per procuratorem, ut omnes fatentur. At verum Sacramentum non esse, mihi est probabilius. Hinc est quod principales contraentes consensus per procuratores datum renovant coram Parocho, qui super eis profert hæc verba: *Ego conjungo vos in matrimonium*. Hæc notanda duxi, ut inde Lectores agnoscant, non adeo facile sperendam esse opinionem Theologorum, qui distinguunt in matrimonio contractum à Sacramento, constitutum à Christo Sacramento matrimonii ministrum Sacerdotem esse teneant. Theologi enim, qui ita sentiunt, Viri sunt longe vulgaribus peritiores in ecclesiastica historia, & in iis monumentis, & quibus divina nobis illa traditio patet, per quam scire unice possumus, matrimonium ad Sacramenti dignitatem fuisse elevatum: sunt enim Theologi, qui ita opinantur, Guillelmus Parisiensis, quem, teste Pallavicino l. 23. c. 9. n. 15. secutus est in Concilio Tridentino Simon Vigor, unus ex primariis Sorbonæ Doctores, Melchior Canus lib. 8. de loc. theolog. c. 5. Tolet. lib. 7. instrukt. Sacerd. c. 6. Petrus de Marca tract. de matrim. Maldonatus q. 1. pag. 441. Estius in 4. dist. 26. §. 10. Syvius suppl. q. 42. art. 1. Tulensis Episcopus tom. 3. c. 4. Juvenius q. 3. Tournely de matrimonio pag. 60. Petrus Collet. tractatus de matrimonio capit. 4. art. 2. Auctor de re Sacramentaria pag. 580. Herminier, Duhamel, Serry, Piet, Vanroi, Gibert, Daniel Concina, Florentius de Coca, Natalis Alexander, ac plures alii Viri doctissimi, qui tante mihi sunt auctoritatis, ut vel unus ex istis sufficere videatur ad revoicandam in dubium assertam à vulgo Theologorum opinionem. Sed videamus argumenta, quæ movent tum supra laudatos Auctores, tum etiam plures alios nunc in Urbe degentes viros doctissimos, etiam eminentissima dignitate decoratos, ad existimandum, probabilius esse Sacerdotem Sacramenti matrimonii ministrum.

Primum itaque explorata apud omnes res est, ante seculum XI. nec Theologum, nec ecclesiasticum scriptorem occurrere illum, qui affirmaverit Sacramenti matrimonii ministrum esse contraentes. Id vero satis speret, ut de veritate contraria opinionis vehementer suscipiemur: cum enim de re agamus, quæ ex divina institutione pendet, ubi clara scripturæ auctoritas, vel antiquorum assertio, & Ecclesiae traditio deest, nullum, aut imbecille admodum argumentum erit, quo alia via ostendatur, quinam fuerit à Deo designatus Sacramenti minister. Hic ergo cum traditio desit, quæ contraentes Sacramenti matrimonii ministros adstruat, & cum scriptura saltem generatim non habeat Sacramentorum ministerio excludat, perspicuum est, vulgarem Theologorum opinionem destitutam illo prasidio esse, ex quo assertiones theologice certitudinem suam habent. Porro scripturam generatim excludere laicos homines ab ordinario Sacramentorum ministerio, facile patet. Nam ministri Sacramentorum sunt Christi ministri, & dispensatores mysteriorum Dei, ut loquitur Apostolus Paulus, & ut etiam ex eo liquet, quia Christi nomine Sacramenta administrant, & quia Dei mysteria, quæ in Ecclesia

dispensantur, proprie loquendo sunt Sacramenta. Christi autem ministri, & dispensatores mysteriorum Dei sunt Sacerdotes, ut ex unanimi Patrum, & Interpretum sententia constat. Itaque Sacerdotes tantum in scriptura generatim dicuntur Sacramentorum ministri: Quod etiam ex eo comprobatur, quia ita tantum ministri religionis habentur. Nisi ergo clare aliunde constet, Deum ministerium Sacramenti matrimonii contraentes tribuisse, qua ratione excludere Sacerdotes possumus ab ordinario hujus Sacramenti ministerio? Equivocum est scripturæ textus, quænam antiquorum Patrum sententia est, quæ non sacros religionis ministros, sive Sacerdotes, sed contraentes, hoc est, marem, & feminam, ministros asserat Sacramenti matrimonii? Nil sane hujusmodi occurrat. Immo antiqua traditio nunquam matrimonium rem sacram, aut Sacramentum vocavit, nisi simul meminisset Sacerdotis in illo intervenientis ministerii, ut optime observavit Benedictus XIV. in egregio suo opere de synodo Diocesana lib. 7. c. 28. Ex hoc autem constat, in Ecclesia Christi semper matrimonium ut rem sacram, & quia Sacramentum est, opus habuisse Sacerdotalis ministerii. Ecclesiae ergo traditio indicat constitutum à Deo fuisse hujus Sacramenti ministrum Sacerdotem.

Deinde in quolibet Sacramento, quod actione continetur, cuiusmodi sunt, una Eucharistia excepta, Sacramenta reliqua, suscipiens à Ministro distinguitur, ut discurrenti per singula liquet. At si vera contraria opinio foret, sponsi suscipientes Sacramentum matrimonii, sibi ministri essent, ac sibi Sacramenta conferent. Undenam constat nuntibus conficiendi, & sibi conferendi Sacramentum collatum à Deo fuisse potestatem? Id enim ex scriptura, ex patribus, ex Conciliis, atque ex aliis fontibus eruendum esset, ex quibus divina Sacramentorum institutionem novimus: immo perspicua ac clarissima hæc in re desiderarentur auctoritates: quia stabilenda foret diversa administrandi, & conficiendi Sacramenti ratio: Scriptura vero, Patres, Concilia &c. nihil de hoc habent.

Denique forma Sacramenti, utpote à Christo instituta, est essentialiter opus religionis, per quod gratiam, & salutem à Deo consequi speramus; & cum Sacramento sit supernaturalis, & efficacis gratiæ signum, forma ejus spirituale Sacramenti effectum, ut operari, sic & significare debet. Atque neutrum in contraria opinione verum est. Nam, ea posita, forma hujus Sacramenti non est essentialiter opus religionis: non solum enim verba, sed facta, & natus sunt forma: Hinc ante Concilium Tridentinum, & nunc etiam ubi Concilium Tridentinum promulgatum non est, sponsalia per copulam carnalem animo maritali facta transibant in matrimonium, & copula hæc erat matrimonii forma. At, inquit, doctissimus Silivius, nullam habet speciem veri, Christum pro Sacramento forma statuisse, quod non potest absque gravi peccato fieri, qualis erat cuiusmodi copula, quæ & à sola libidine erit, & grave peccatum, utpote pertineans ad clandestinum matrimonium, ab Ecclesia semper improbatum; & praesertim si pro signo consensus non aliud sit, quam ipsa corporum commixtio. Præterea nec forma, in sententia illa, spirituales Sacramenti effectum significat: Hæc enim in iis sita est, ut verbis: *Accipio te in meam*: accipio te in meum. Hæc porro verba nullum spirituales gratiæ effectum significant, nec certe magis significant, quam materia ipsa, cum tamen expressior esse debeat formæ significatio, quam materia.

Hæcenus argumenta theologica inuimus: superest auctoritas Conciliorum, & Patrum. Ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. de reformatione, hæc habemus: *Ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesie procedatur, ubi Parochus, viro, & muliere interrogatus, & eorum mutuo consensu intellego, vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: vel alius utrumque verbis, juxta receptum uniuscujusque provincie ritum.* Satis perspicue colligi hinc videtur, Sacerdotem esse hujus Sacramenti ministrum, & verba, quæ profert, esse formam. Concilium enim cætera verba usurpanda præscribit, vel

alia

alia juxta cuiusque ecclesie ritum. Ibidem subdit hæc benedictionem à proprio Parocho faciendam esse: *Item nisi quis Parochus, vel alius Sacerdos alterius Parochie sponsos sine illorum Parochi licentia in matrimonium conjugere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure suspensus maneat.* Plura alia Concilia provincialia, ut Coloniense, Cameracense, Rhemensis, Turonense, quæ refert Silivius, prætereo.

His accedunt Rituala plurima. Rituale Romanum vetus, an. 1494. à P. Alberto Castellano O. P. collectum, hæc habet: *Contraentes responduntur, sed nec affines, nec consanguineos Ec. Sacerdos pronuntiet verba, quæ sunt forma hujus Sacramenti.* Alterum Romanum, Pauli V. jussu editum, hæc verba: *Ego vos conjungo Ec. profertur à Parocho istius Sacramenti ministro præscribit. P. Martene de antiquis ecclesiæ ritibus tom. 2. pag. 11. l. 1. c. 9. plura alia Rituala in hæc rem affert. Unum laudare sufficit, nempe Mediolanense, in quo S. Carolus Borromeus act. p. 4. hæc inserti curavit, nempe: *quinque duntaxat esse Sacramenta, quæ Parochus ex officio administrare potest, Baptisimum, Eucharistiam, Penitentiam, Matrimonium & Extremam Unctionem.**

Hæc pauca indicavimus, ut lectioribus pateat, injuria à Vasquesio opinionem hæc temeritatis accusari, ac gravissima esse momenta, quibus erudit viri supra à nobis laudati moventur ad affirmandum, opinionem hæc longe probabilior esse. Videantur Auctores illi, & praesertim continuator Tournely tom. 8. cap. 4. art. 2. ubi alia quoque argumenta in hujus opinionis comprobationem affert, & adversariorum objecta doctè & erudite solvit & explicat.

Unum vero adhuc addendum est, nempe sententiam hæc tutiore esse. Nemo enim in controversiam vocat, inquit P. Concina, matrimonium, benedictione sacerdotali accedente, esse Sacramentum. Contra, hæc benedictione sublatâ, gravissimi Theologi aperte inficiantur matrimonium tale esse Sacramentum. Hæc autem Theologorum opinio probabilis est. An negabunt adversarii hæc opinionem esse probabilem, quam tot doctissimi Theologi propugnant? Si quisquam minus peritus hoc auferet, illi oppono auctoritatem sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. qui lib. 8. de synodo. c. 28. num. 3. hæc scribit: *Verum quamquam hucusque explicata Melchioris Cani sententia, ut Doctorem suffragis communita, non valde probabilis, ac tunc liberum absque erroris nota eam amplecti &c.* Non probabilis modo, verum etiam valde probabilis est sententia nostra, teste Pontifice Maximo. Est etiam tutior in comparatione opposita. Illa enim tutior sententia est, de qua Theologorum nemo unus ambigit. Porro omnes ad unum fatentur, conjugium ecclesiastico ritu benedictum à Sacerdote esse verum Sacramentum. Ergo tutior illa, hæc minus tuta. Atqui ex decreto Innocentii XI. ex duabus opinionibus, quæ in utramque partem à Theologis disputantur, tutiore amplecti debemus, quando de Sacramento agitur. Ergo amplectenda nostra, rejicienda altera est.

Circa materiam & formam secundum hæc opinionem, placuit recensere sententiam continuatoris Tournely, quæ plausibilior visa est. Materia hujus Sacramenti sunt actus contrahentium, forma vero sunt verba, quibus Sacerdos contractum hunc nomine ecclesie ratihabendo, eidem benedicit. Prima pars ostenditur, tum quod ceteræ opiniones nil habent solidi, nil quod ambiguum non sit; tum quia Sacramenti materia in eo bene reponitur, quod cum de se indifferens sit ad esse duntaxat civile, vel ad esse sacramentale, ad istud per formam determinatur, atque contrahentium actus, qui de se indifferentes sunt ad permanendum in ratione contractus civilis, per formam seu per verba Sacerdotis determinantur ad acquirendum esse sacramentale; tum demum quia, ut loquitur Estius in 4. dist. 26. §. 12. *Sicut in Sacramento Penitentiae materia vel quasi materia sunt actus penitentis, qui velut informantur per absolutionem Sacerdotis, ita rectè dicitur, actus contrahentium, quibus mutuo sibi dant fidem matrimonialem, esse hujus Sacramenti materiam, vel quasi materiam, quæ deinde informantur ad gratiæ consecutionem per ea*

verba Sacerdotis, in quibus consistit forma Sacramenti. Sicut enim Deus actus penitentis erexit in Sacramentum novæ legis, addita absolutione Sacerdotis ut forma, ita valde convenienter dicitur, quod actus contrahentium erexit in Sacramentum novæ legis addita benedictione Sacerdotis ut forma. Faverit huic doctrinae S. Thomas 3. part. q. 84. art. 1. ad 1. ubi: *In illis Sacramentis, inquit, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loca materiae, ut accidit in Penitentia & Matrimonio.*

Ostenditur altera pars, i. quia in eo reponenda est matrimonii ut Sacramenti forma, quod antiquitas tota ut potissimum ejus partem commendavit; cui traditio gratiam in christiano matrimonio collatam tribuit constanter; quod formam Sacramenti hujus esse asseruerunt quadam concilia, nulla autem negarunt. Atqui benedictionem sacerdotalem ut potissimum christiani matrimonii partem totam commendavit antiquitas &c. 2. Quia in materia sacramentali ea dubio procul amplectenda est opinio, quæ tutior est, nisi contraria non aliquo tantum gradu, sed magno & intenso sit probabilior. Atqui opinio, quæ Sacerdotis verba ut essentialiam formam requirit, indubie tutior est, cum nulli Sacramentum exponat periculo. Aliunde contraria opinio non est longe multo probabilior, immo nec æque probabilis, ut ex dictis videre est.

Atque hinc eam existimarem in praxi sequendam, 1. quoad heterodoxos ad Ecclesiam reduces, ut statuit Sanchezius: 2. quoad infideles ad Ecclesiam conversos: 3. quoad eos etiam, qui in locis, ubi non viget Tridentinum, sine opera sacerdotali contraxissent. Licet enim, quod jam advertimus, negent viri graves matrimonium, quod semel valuit in ratione contractus civilis, ad Sacramenti gradum assurgere unquam posse; non est adeo certum ut peccet, qui contra senserit & egerit. Hæc tamen, ut nostra omnia, Sedis Apostolicæ, & Episcoporum, quin & Doctorum censura subjecta sint.

Notat hic Rom. Theologus, quod non videtur temeritatis damnari posse, qui negat Sacramentum esse in forma per procuratores matrimonium. Immo videtur vel le probabiliorem esse contrariam sententiam, pronuntiatque ipsam tutiorem. Ast, ultra ibi allegatos auctores, & à me adducta pro mea sententia, id tenent etiam plurimi alii, & signanter Card. Gott. de Sacram. matrimonii q. 5. dub. 1. §. 3. per tot. ubi etiam solvit objecta, Pontas verb. Matrim. casu 9. Antoine tract. de matrim. q. 7. Maschat editionis Rom. doctiss. Ubal. Giraldi 1757. l. 4. tit. 1. n. 45. expresse dicens: *fideles etiam post Tridentinum contrahere possunt per procuratorem matrimonium in ratione Sacramenti: quod efficaciter probat, & solvit objectiones, ut faciunt Pontas, Antoine, & peren. mem. Benedictus XIV. de synodo diocesana lib. 13. c. 23. n. 9. ubi plura tradit ad rem merito videnda, & observanda. Unde contraria opinio non est probabilior, sed illa mea, dummodo attendantur, & serventur omnia à me ipso tradita cit. n. 34. ad 40. inclusive.* Unde hic recurrit nova admiratio, novusque stupor, quod dictus Ubaldis ut revisor, probaverit sententiam Theologi Romani ut probabilior, atque tutiorem contra meum assertum, quum ipsemet cum suo Maschat loc. c. in sua novissima editione Romana juxta meam assertionem, & contra conclusionem Theologi, sic expresse supra concludat: *Fideles etiam post Tridentinum contrahere possunt per procuratorem matrimonium in ratione Sacramenti.*

Conditiones igitur necessario servandæ in matrimonio contracto inter Absentes per procuratorem, sunt sequentes. Prima est: quod procurator habeat à suo principali mandatam speciale ad contrahendum matrimonium; cap. Procurator 9. de procuratoribus in 6. ibi *Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatam habuerit speciale.* Secunda, quod procurator mandatam illud exequatur per se, & non per substitutum, nisi specialis ad substituendum alium fuerit ei concessa facultas à suo principali; cit. cap. Procurator 5. ibi: *Et quavis is, sibi: Et quavis is, qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit, in hoc tamen casu* (propter mag-

- magnum, quod ex factu tam arduo posset periculum immineri non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum. Tertio, quod ex tempore, quo procurator contrahit, ejus potestas non sit revocata à suo principali, nequidem tacite, seu interne; aliis nullum erit matrimonium, licet procurator in se, aut ea, cum qua contraxerit, talem revocationem penitus ignorent, quia quacunq[ue] revocatio cessat consensus, & sine consensu nullum est matrimonium, citat. capit. Procurator, ibi: Sane si procurator, antequam contraxerit, à Domino fuerit revocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorent) nullius momenti existit, cum illius consensus defuerit, sine quo firmitatem habere nequit. Quarto, quod determinetur specificè in mandato, & commissione, cum qua persona sit contrahendum, quia non sufficit clausula contrahendi cum quacunque; leg. Generali 34. de ritu nuptiarum. Quinta, quod procurator, seu mandatarius non excedat substantialiter suum mandat, seu limites mandantis, leg. Diligenter, ff. Mandatarius. Sexta, quod post publicationem Concilii Tridentini procuratores personarum principalium contractum inane coram Parocho, & duobus testibus, ut colligitur ex eodem Concilio Tridentini, sess. 24. c. 1. de reform. matrimonii, ubi ad ejus validitatem requiritur præsentiam Parocho, & saltem duorum testium. Unde ex istis patet responsio ad rationes adversariorum sub n. 34. adductas. Nam in ipsis procuratoribus interrogantur, & respondent principales, quod etiam faciunt per nuntios, & literas, adeoque non requiritur personalis præsentia, cum id specialiter conveniat Sacramento matrimonii, quod sequitur rationem contractus, qui potest æque bene celebrari inter absentes. Porro quævis matrimonia per procuratorem contracta valeant, ut communis est Theologorum etiam post Tridentinum scribentium sententia; tamen cautius est, ut quæ sic conciliata sunt, iterum præsentibus conjugibus coram Parocho renoventur; quæ tamen dicta sunt ad cautelam, non autem ad necessitatem. Benedic. XIV. de synod. diac. lib. 13. cap. 23. §. 9. nov. edit.*
- 36 Procurator potest esse diversus sexus ab illo, nomine cuius contrahit, unde potest femina contrahere pro viro, & vir pro femina; agit enim non suo, sed alterius nomine. Præsen. l. c. vers. Observandum autem est: Aversa q. 3. sect. 5. La-Croix l. 6. p. 3. n. 263. & alii passim.
- 37 Nec requiritur, quod procurator sit certæ ætatis, sufficit enim, quod sit in ætate sufficiente ad manifestandum sui principalis consensum, quamvis necdum esset pubes. Sanchez l. 3. disp. 4. n. 8. Krimer n. 2185. & Doctores citati, & alii.
- 38 Quando matrimonium contrahitur per nuntios, debent isti utriusq[ue] mittentis traditionem, & acceptationem significare coram Parocho & testibus, arg. Concil. Tridentini, l. c. Et si contrahatur per literas, litera à sponsa scripta sponse, quod eam acceptet in uxorem, & se ei tradat in maritum, debet legi coram Parocho, & testibus, coram quibus debet sponsa vicissim dicere, quod eum acceptet in maritum, & se ei tradat in uxorem. Et si uterque per literas agat, debet uterque alterius literas legere coram Parocho, & testibus, arg. eod. Conc. Tridentini, loc. c. Castropol. disp. p. 9. La-Croix lib. 6. p. 3. n. 264. & alii passim. (Multum conducit lex. §. tit. 2. part. 4.)
- 40 Recte autem monet Sanchez disp. 120. n. 21. Aversa q. 3. sect. 5. Sporer l. c. n. 325. La-Croix l. c. n. 268. & alii, contrahentes per procuratores, seu nuntios, vel literas, optime faciuros, si deinde per se ipsos privatim inter se repetant mutuum consensum, ut certius sit Sacramentum, si forte illegitimum quid intervenerit.
- 41 Principales contrahentes, cum sint ipsi, qui ministrant, & recipiunt Sacramentum, debent esse in statu gratiæ, non quidem necessarîo eo tempore, quo procuratores constituunt, seu nuntios vel literas mittunt; sed eo quo probabiliter credunt posse procuratores eorum nomine contrahere, vel nuntios suam voluntatem significare, seu literas suas legi posse coram Parocho, & testibus; procuratores autem, seu nuntii non peccant, si
- eo tempore sint in peccato mortali, quia nec recipiunt in se Sacramentum, nec nomine suo ministrant, Communis.
- Matrimonium contractum à procuratore post revocationem mandati procure, quamvis fuerit ignorata talis revocatio, est nullum, & invalidum; textu expresso in cap. Procurator §. de procuratoribus in 6. & Sac. Congreg. Concil. in Eugubina §. Julii 1727. apud Thesaurum Resolutionum Sac. Congreg. Concil. tom. 4. quæ resolutiones præstant Venetiis apud Joan. Bapt. Recurri.
- Circa Parochum ministrum matrimonii juvat hic adnotare sequentia.
- Benedic. XIV. abstinendum censet ab eâ questione inter Theologos agitata, num Parochus sit hujus Sacramenti minister, seu potius ipsi contrahentes simul materia, forma, & ministri hujus Sacramenti habeantur utriusque sententiæ fundamenta late expendit in tract. de synod. diac. lib. 7. cap. 28. Quamquam non obscure inclinare visus est in sententiam, quæ contractum Sacramenti totum quidquid est contrahentibus vindicat, merito tamen reprehendendi sunt illi qui à contractis matrimonium non exigunt scientiam doctrinæ christianæ, saltem eorum, quæ ad salutem necessaria sunt. Mandavit enim Clemens XI. & ipse etiam Benedic. XIV. constitut. 42. tom. 1. in cap. Exiit minime: ut Parochus ab inicituris matrimonium exquirat interrogando, quæ ad salutem necessaria sunt; & si reprehendit ignorasse, matrimonio jurgendi non sunt. Monet insuper cum Giribaldo, illos, qui præcipua fidei mysteria sciunt, ea vero quæ sunt de necessitate præcepti rudî solommodo tenent, illos quidem posse aliquando retineri à matrimonio celebrando, atque interim Parochus illos diligenter doceat; & si deprehenderit rudiores esse ingenio, & exilis memoria, ut doctiores effici non valeant, tenetur tandem conjungere. Ib. cap. 29.
- Matrimonium coram Parocho, vel coram alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, duobus, vel tribus testibus celebrari debet, quæ verba sunt Tridentini de reform. matrimonii sess. 24. cap. 1. Reprehendendam vero censet Pontifex Episcoporum quorundam oscitantiam, qui in Synodis suis edixerunt celebrandum esse coram legitimo Ministro, quo ansa data est Theologis nonnullis opinandi, sententiamque suam ex eorum mente, ut hi quidem arbitrantur, firmandi, Parochum esse legitimum Sacramenti matrimonii ministrum.
- Parochus per se assistere matrimonio tenetur, nisi legitima gravissimaque ex causa impediatur, Bened. XIV. constitut. 90. tom. 1. Bullar. incipit. Nimitum licentiam.
- Si Episcopus generatim interdicat Parocho, ne matrimonium assistat, matrimonium valere, definit Sac. Congreg. Conc. & firmat Pontifex in tract. de synod. diac. lib. 7. cap. 68. §. 11.
- Si vero interdictum istud venerit à Pontifice cum decreto irritante, tunc utique non valet conjugium, cum Pontifex ipso jure possit impedimenta constituere. Nisi tamen adsit huic interdicto decretum irritans, matrimonium valet, cum impedimentum istud impediens non irritans censendum sit. Ib. §. 3.
- Parochus coram quo celebrari potest matrimonium, est Parochus domicilii, non originis, ut ex consensu Auctorum, & sensu S. Congregationis constat. Instr. ecclesiast. 33. §. 6. Quare si quis habeat duo domicilia in duplici parochia, in alterutra matrimonio jungi potest attamen ad habendum duplex domicilium requiritur, ut in utraque æqualem moraliter habitationem habeat. Ib. Parochus ruralis, quo quis pergit ad rusticandum, non est aptus matrimonio illius, qui ibi moratur causa recreationis, & ad rusticana negotia, ita enim perpetuo censuit S. Congr. Ib. §. 7.
- Nullum est matrimonium ejus, qui è loco propriæ habitationis, non tamen deserto ibi domicilio, pergit ad alium locum animo se conjugendum in matrimonio, non adeptum novo domicilio, seu quasi domicilio. Ita ex sensu perpetuo Sac. Congregationis, ib. §. 8.
- Vagorum Parochus quoad matrimonium, est Parochus loci, ubi tunc versantur, ut ex sensu plurimorum Theologorum ib. §. 10.
- Diligenter tamen distinguendi sunt vagi à peregrinis 51

Va-

- Vagi sunt enim illi, qui relicto proprio domicilio, aliud quasi vagantur; peregrini vero qui non relicto domicilio peregrinantur alibi. Ibid. §. 10.
- Scholares, Judices, Medici &c. qui alieni domicilii habitant, in loco ejusdem habitationis contrahunt quasi domicilium, si ibi permaneant aliquo idoneo tempore. Ita ex DD. & decret. Sac. Congregationis; ibid. §. 11.
- Quoad matrimonium eorum, qui in carcere adstricti detinentur, si retineantur in carcere ex sententia Judicis, sive deputati, in perpetuum, sive ad certum tempus, respectu illorum, Parochus matrimonii est ille, ubi carceres siti sunt; si vero detineantur in carcere donec causa eorum expediatur, tunc Parochus eorum est ille, ubi habent domicilium. Ita ex sensu S. Congr. & DD. ib. §. 12.
- Parochus eorum, qui expositi sunt, & in hospitali aluntur, quoad matrimonium non est Capellanus ejusdem hospitalis, sed Parochus, ubi situm est hospitale. Sic ex decretis Sac. Congregationis, ibid. §. 14.
- Educandæ in monasterio degentes habent pro Parocho matrimonii illum, in cujus loco est domicilium patrum, materum, seu fratrum, ut ex multis Theologis, ibid. §. 16. Si eo careant, est Parochus loci ubi est monasterium. Vide infra arti. 2. num. 115. & seq.
- Famuli habentes domum, & familiam in alia parochia diversa ab ea, quam habet domus heri, Parochum matrimonii habent illum, in quo est domus & familia. Ita ex statutis Cleri Romani ibid. §. 20. disponitur. Si vero domicilium habeant familiae extra urbem & in urbe famulantur, tunc coram Parocho urbano contrahunt. Instr. eccles. 88. §. 5.
- Si Episcopus mandet alicui parochi, ut assistat matrimonio, reputans hunc esse verum Parochum alterius ex contrahentibus, & postea reperiatur vere non esse Parochum illorum, adhuc tamen mandat Episcopi valet, & consensus iste sustinetur, ut semel & iterum decisum à Sac. Congr. refertur. Instr. eccles. 88. §. 4.
- Matrimonium etiam bona fide contractum coram Parocho & unico teste, non valet, ut ex responso Sac. Congregat. Concil. constat de synod. diac. l. 12. cap. 5. nov. edit. Vicissim valet contractum coram duobus testibus sine Parocho in loco, ubi non est nisi hereticus, vel si est, illum adeundum libera facultas deest. Ibid.
- Parocho presente, ita tamen ut neque videat contrahentes, neque auribus verba eorum percipiat, matrimonium est nullum, ut definitum est à Sac. Congregat. Concil. post diligens examen in causa Romana die 7. Martii 1700. At si Parochus affectaverit non intelligere verba contrahentium; matrimonium valere respondit alio decreto anno 1593. in causa Ulyssiponen. S. Congreg. de synod. diac. l. 13. cap. 23. nov. edit. Tunc vero non audit affectat. Parochus, si inivitus adhibetur ad contractus celebrationem & data opera, neque videre vult, neque percipere, cum tamen facile posset, & testes audierunt, & viderunt; quæ sane ratio fuit decreti Sac. Congregationis in Carthag. Matr. anno 1753. Iam pro similibus matrimoniis validitate. Ibid. §. 11. Hac de re plura vide tom. 4. verb. Impedimenta Matrimonii arti. 2. num. 135. & seqq.
- Parochus, cui interdictum est ab Episcopo, ne interveniat matrimonio contrahendo, adhuc tamen non reddit matrimonium invalidum. Ita ex decis. Sac. Congregat. de synod. diac. lib. 13. cap. 23. §. 1. nov. edit. Idem dicas, si Ordinarius tantum velit Vicario Parochi ne assistat, & ille contra mandatum assistat. Item pariter judicandum est, si vel Parochus, vel ejus Vicarius prohibiti ab Episcopo, nolentes & iniviti assistere cogantur. Ibid. ex eodem decreto.
- De matrimonio quæri solet, an seposita lege positiva, sit indissolubile. Negant inter alios Lockius de regime civili cap. 6. §. 3. & plur. sequent. idque quia nec contractus hic natura sua perpetuam requirit, nec eam sensus obsequit finis ipsius. Tradit tamen tandem saltem debere illud durare, quamdiu proles educata sit. Sed vide acutissimum Pontium de matr. l. 1. cap. 13. per tot. tenentem & seposita lege positiva esse matrimonium indissolubile.
- De disciplina ecclesiæ circa infidelium, & hæreticorum conjugia, quum alter eorum ad finem convertitur, vide si lubet mox dictum Pontium citato opere l. 9. c. 4. per tot. qui rem pro dignitate tractat.
- In dubio favore matrimonii esse judicandum, regula 66 est. At ne auctoritate regule, ut plerumque usuevit, in errores incidamus, monendum est procedere regulam hanc in juris non item in facti dubio. Si itaque dubitetur, an ipsum matrimonium sit contractum nec ne, non est judicandum fuisse matrimonium contractum; Rot. cor. Tanario decis. 220. num. 5.
- Consensus ad matrimonium requisitus potest exprimi non solum verbis, sed & quibuscumque signis & nutibus, ut monuit Auctor n. 25. & seq. & respondit Rot. in Majoricis, matrimonii 3. Julii 1749. cor. R. P. D. Camilliac. Sed nonnunquam dubitatur, an verba prolata à contrahentibus importent necessarium ad matrimonium consensum. Idemque dubium oriri solet de signis ab ipsis adhibitis. Vide vero, qui de iis ex professo tractat, Pontium de matr. l. 2. cap. 7. & plur. seq. ubique per tot.
- In matrimonio coram Parocho & testibus contracto, sed invalide ob aliquod impedimentum, an oportet renovare consensum pariter coram Parocho & testibus, quæstio est. Affirmant post Concilium Tridentinum Fagnan. in cap. 11. num. 13. de despons. impuber. Pont. de matr. l. 5. cap. 6. num. 7. Clericat. decis. 17. n. 39. de Sacrament. matr. alicque. At Schmalzgrueb. jur. eccles. univers. l. 4. part. 1. tit. 1. §. 2. num. 420. affirmativam hanc opinionem amplectendam esse tenet, si impedimentum, propter quod matrimonium invalide sit contractum, sit notorium, vel in judicio probati quæ; non item si ipsum impedimentum occultum sit, necullo modo in judicio probari possit: dummodo tamen ambo conjuges sciverint nullitatem matrimonii, & cohabitaverint diuturno temporis spatio; & quidem spontaneè.
- Non incongrue agi hic posset de sponsalibus & matrimoniis, quæ à filiis familias contrahuntur, parentibus insciis, vel juste invisis. Sed longum esset & inutile, postquam de iis suam edidit dissertationem doctissimus Muscettola, eamque in Neapolitana editione anni 1742. variis additamentis illustravit eruditissimus; & nunquam sine laudis præfatione nominandus Mazzochius. Consule igitur, ubi res ita postulat, dissertationem hanc distictæ editionis Neapolitanæ anni 1743. §.

ARTICULUS II.

Matrimonium quoad varia miscellanea ipsum concernentia.

SUMMARIUM.

- 1 A quibus puniendi denuntiationes dolore omitentes: nullum matrimonium quos effectus producat quid in matrimonio propter metum contracto, si cum viro per septem annos permanserit, & filios susceperit: quid in aliis casibus, ad num. 11.
- 12 An validetur contractum coram Sacerdote extraneos vivente prima uxore: de Parocho unius contrahentis an requiratur presentia illius in nullo matrimonio: quæ ætas ad contrahendum, ad num. 28.
- 29 Puberes qui dicantur: quid puer, & pueritas: assignatio ætatis ad hujusmodi contrahendum iteratur: casus varii referuntur de matrimonio subsistentia, aut insubsistentia, ad num. 40.
- 41 Quædam recensentur super dispensatione ad matrimonium obviata: quæ matrimonia impediri nequeunt matrimonium ratum an dissolvi possit, ad numer. 52.
- 53 Matrimonium, dote deficiente, subsistit: potest contrahi sine dominorum consensu: post occasum solis: cum pacto continentia: & extra ecclesiam: quando, & à quo benedictiones conjugales fieri possunt: variæ resolutiones inseruntur; ad materiam concernentes, & alia remissive, ad num. 65.
- 66 Additiones ex Auctore, & novæ editiones ex aliena manu subducuntur, ad num. 194.

E 2

Ma-